

DISPUTATIO JURIDICA,  
*Quam*  
In Alma CHRISTIAN-ALBERTINA,  
*Juxta ordinem*  
In Principali FRIDERICIANA  
*Constitutione praescriptum,*

1785  
1703, 5

DE  
**QUARTIS**

*In Jure nostro occurrentibus,*  
Et in Specie

DE  
**QUARTA DU-  
PLICATA,**

*Sub PRÆSIDIO*  
**SAMUELIS REYHERI, JC.**

Cod. & Mathemat. Prof. Publ.

*defendet*

**PETRUS MUMMENS,**

Eidorostad. Juris Stud.

Die April. c<sup>o</sup> Ecc III.

in Auditorio Majori.

---

KILIAE,  
Typis Bartoldi Reusneri, Academ. Typogr.

DEO  
In-  
QUARTIS  
QUARTA DU-  
PLICATA  
SAMUELE REYHERI JC  
PETRUS MUMMEN  
in Anstalt  
The...



I. N. D. N. J. C.  
Prooemium.

**Q**Uamvis hodie vix argumentum invenia- 1.  
 tur, quin sæpius ab aliis elaboratum & in  
 lucem editum sit, nemo tamen diffitebi-  
 tur, sæpius plura, quæ moneri possunt,  
 restare; ut inter alia ex hac ipsa, quam  
 elegimus materia, *de variis in Jure occurrentibus* 3.  
*Quartis* patebit, quarum alii *quatuor*, alii *quinque*,  
 alii *septem* numerant, nos vero *plures* dari probabi-  
 mus. Ante omnia vero notari poterit *Quartam*  
 Latinius reddi posse *Quadrantem* juxta §. 5. *I. de hered.*  
*insti. l. 50. §. ult. ff. eod. l. 11. pr. & l. 88. ff. ad Leg. Falcid.*  
 Ast quia sæpissime in Pandectis, *l. 18. l. 59. §. 1. l. 89. §. 3.* 4.  
*in fin. SC. ad legem Falcid. l. 16. §. 9. ff. ad c. Trebell. nec*  
 non aliis auctoribus Latinis *Quadrans* hic *Quarta*  
 vocatur, ideo hanc appellationem meritò retinemus.  
 Notatu digna enim sunt, quæ inveniuntur in *C. Pli-* 5.  
*nii secundi Novocomensis l. 5. ep. 1.* ubi cum Curione  
 loquens, sic inquit: *Si mater te ex parte quarta* 6.  
*scripsisset heredem, num queri posses? Quid si here-* 7.  
*dem quidem instituisset ex asse, sed legatis ita exhau-*  
*fisset, ut non amplius apud te, quam QUARTA re-*  
*maneret? Igitur sufficere tibi debet, si exheredatus à* 8.  
*matre, QUARTAM partem ab heredibus ejus acci-*  
*pias.*

A2

C4-

## CAPIT PRIMUM.

## De Quarta Falcidia.

9. **Q**uarta Falcidia vel Falcidica non a falce, ut a-  
 liqui putarunt, *Gotbofred. in not. ad l. i. pr. ff.*  
 10 *ad Leg. Falcid.*; Sed a lege Falcidia nomen  
 habet, quam P. Falcidius Tribunus plebis, Domitio  
 & Asinio C. ff. Anno. V. C. DCCXIII. de Testamen-  
 11 *tis tulit, Francisc. Hotoman. in leg. Romanar. enu-*  
*merat.* cujus quatuor capita fuisse putant. Primo ca-  
 12 pite libera legandi facultas dabatur usque ad dodran-  
 tem *l. i. pr. ff. ad leg. Falc.* Secundo capite modus  
 legatorum constituebatur, dum ita detur legatum,  
 ne minus, quam partem quartam hereditatis eo te-  
 13 stamento heredes capiant *d. l. i.* Tertium caput vi-  
 detur Jus retentionis tribuisse heredi, ut si quis aliter,  
 quam hac lege liceat, pecuniam dederit legaverit,  
 heredi quartam partem pecuniæ, quæ data legata  
 14 erit, ex eo testamento retinere liceat. Quarti  
 capitis loco sit potestas, quam Prætor in dubio  
 concedit heredi, ut satisdet legatarius, se, si apparue-  
 rit, eum amplius legatorum nomine cepisse, quam è  
 lege Falcidia capere licebit, quanti ea res erit, tantam  
 pecuniam redditurum esse, *l. i. pr. ff. si cui plus, quam*  
 15 *per legem Falcidiam licuerit &c.* Quantum autem  
 pro rata portione legatis detrahi debeat, ut heredi  
 quarta Falcidia salva maneat, Gajus in l. 73. §. *fin. ff.*  
 & §. *fin. Inst. de Leg. Falcid.* docet, tribusque exemplis  
 16 illustrat; dum fingit, patrimonii quantitatem, ex qua  
 legata erogari oportet, quadringentorum fuisse. (I.)  
 autem

DE QUARTIS.

autem tribus legatariis, & quidem singulis quadrin-  
 gentos legatos esse; quartam igitur partem singulis  
 detrahendam esse statuit. (II) trecentos quinquagin- 17  
 ta aliquibus legatos fingit, & octavam singulis detra-  
 hit (III) Quodsi testator quingentos legaverit, pri- 18  
 mum quintam, dein quartam detrahit. In primo 19  
 & tertio exemplo Imperator acu rem tetigit. In 20  
 secundo autem a scopo aberrat, dum heres suum  
 quadrantem non retinet, sed sex aurei cum quadran-  
 te deficiunt. Minimè ergo octava, sed septima sin-  
 gulis detrahi debet. Fingamus enim duobus ve- 21  
 ro 175. aureos legatos, & heredi 50. relictos esse. 22  
 Utriusque pars octava erit 21 $\frac{3}{4}$ . & heredi ad crescent  
 43 $\frac{3}{4}$ . cum tamen per legem Falicidiam retinere de- 23  
 buisset 50. ut 100. sive quartam ex quatringsentis sal-  
 vam haberet. Si vero utriq; septimam, nempe 25. detraxerit 24  
 quartam toti<sup>9</sup> hereditatis habebit. Fingamus X. lega- 24  
 tarios esse, & cuilibet 35. legatos esse: singulis igitur de-  
 trahuntur 5, ut heres 50. accipiat & sic retineat quadran-  
 tē totius hereditatis, nempe 100. Excusari tamen quo- 45  
 dammodo poterit Imperator, si dicamus, ipsum non  
 octavam partem cujusvis legatarii, sed totius here-  
 ditatis intellexisse.

CAPUT SECUNDUM

De Quarta Trebellianica.

**M**eliori jure hæc quarta diceretur Pegasiana, 26  
 quod temporibus Vespasiani Augusti Pegaso  
 & Pufione Cff. factum est Sctum, ut ei, qui  
 A3 rogatus

rogatus esset, hereditatem restituere, perinde liceret quartam retinere, atque per legem Falcidiam ex legatis retinere conceditur. Cum autem temporibus  
 27 Neronis anno U. C. D CCCX. A. Seneca & Trebellio Maximo CSS. SCtum de actionibus in fideicommissarios ab heredibus transferendis factum esset l. 1. §. 1. ff. ad SCt. Trebellian. prægnantes ob causas  
 28 Imperator Justinianus expulso SCto Pegafiano omnem auctoritatem SCto Trebelliano præstitit: ut scilicet ex eo fideicommissariæ hereditates restituantur, siue heres ex voluntate testatoris quartam, siue plus, siue minus, siue nihil penitus habeat; ut tunc, quando vel nihil, vel minus quarta apud  
 29 eum remanet, liceat ei vel quartam, vel quod deest ex Imperatoris auctoritate retinere, vel repetere solutum, quasi ex Trebelliano §. 7. J. de fideicommiss. heredit.:

### CAPUT TERTIUM.

*De Quarta D. Pii siue Impuberum adrogatorum sine justa causa emancipatorum.*

30 **Q**uarta hæc nomen habet ab Antonino Pio, qui ab Hadriano, cujus gener erat, in filium adoptabatur *S. Aurelius Victor. in Breviar.*  
 Cum enim antea non pupilli, sed solummodo ves-  
 31 ticipes adrogari poterant. *Gell. Noct. Attic. l. 5. c. 19.* postea tamen adoptari poterant ex constitutione D. Antonini. *Ulpian. in fragm. tit. 8. §. 4.*  
 32 Ne autem pupillis adrogatio damnosa esset, causa cogni-



cognitio præcedere, & circumstantiæ in *l. 17. ff. de Adopt.* præscriptæ, examinari debebant; quarum una ex præcipuis erat, ut pater adoptivus fatisdaret, h. e. datis fidejussoribus caveret, *l. 1. §. 2. ff. Qui satisd. cog.* se velle filio adrogato, & intra pubertatis annos sine justa causa emancipato, non tantum omnia filii bona restituere, sed etiam bonorum suorum, & quidem omnium, quæ mortis tempore habebat, *l. ult. ff. Si quid in fraud. patron. &c.* Quartam relinquere *l. 22. pr. ff. de adopt.* Quamvis autem Accursius in *notis ad banc legem* nec non Vultejus, Bachovius & alii, quos allegat *Ludvvell in Comment. ad Instit.* quartam portionis ab intestato debitæ intelligant, quia putant, si forte quatuor aut plures liberi genuini vel legitimi adsint, unum arrogatum plus accepturum, quam unum legitimum. Verum hic metus inanis est, quia sufficienter prospexerunt legislatores legitimis liberis, & propterea ad causæ cognitionem pertinere statuerunt, ne adrogator quatuor, pluresve liberos legitimos habeat, ne illorum, qui ex justis nuptiis procreati sunt, spes diminuatur, *l. 17. §. 3. ff. de Adopt.* Cæterum peculiariora quoque de hac *Quarta* in Jure nostro inveniuntur, dum primo filius adrogatus, cum habeat quartam ex Constitutione D. Pii, removendus est a querela inofficiosi. Si autem egerit, nec obtinuerit, quarta tamen ei, tanquam æs alienum, concedenda *l. 8. §. 15. ff. de inoff. test.* Deinde, si impuberi adrogato secundum D. Pii rescriptum quarta debetur & im-

- 8
- & impubes sine iusta causa emancipatus, patris naturalis bonorum possessionem petat, quartam con-
- 41 ferre non debet *l. 1. §. 21. ff. de Collation. Porro impubes talis post emancipationem, si petitio quartæ jam nata sit, spem illius ad heredem suum transfert, quia*
- 42 personalis actio est. Si enim adrogator deceaserit, impubere relicto filio adoptivo, & mox impubes de-
- 43 cedat, heredes adrogatoris bona adrogati & præterea quartam partem heredibus impuberis restituere
- 44 tenentur *l. 22. pr. ff. de Adopt. Et propterea etiam heredem impuberis de quarta conferenda cavere oportet, d. l. 1. §. 21. ff. de Collat. Insuper, impuberi adrogato adrogator substituere potest non tantum in bonis, quæ ipsi dedit adrogator, sed etiam in ipsa quarta. l. 22. §. 1. ff. de Adopt. Imo amplius, si quid beneficio adrogatoris acquisivit, utputa si adrogatoris amicus vel cognatus, ei aliquid reliquit, & hoc substitutus habere debet, l. 10 §. 6. ff. de vulg. & pupill.*
- 46 *subst.* Cæterum, si adrogator fidei ejus committat, ut quandoque restituat, non oportet admitti fideicommissum, quia quarta hæc non adrogatoris Judicio, sed principali providentia ad pupillum pervenit. *l. 22. §. 1. de Adopt.*

CAPIT QUARTUM

De Quarta tam Sabiniana, quam Curiali.

- 47 **Q**uartam Sabinianam describit Theophilus in *Paraphr. Instit. §. sed ea omnia. tit. De heredit. que ab intest. defer.* Si, cum tres filios mares quis

quis haberet, unum ex iis in adoptionem dederit, juxta SCrum Sabinianum quartam bonorum suorum partem relinquere debebat. Si vero non relinquat, SCrum ei dat actionem adversus heredes patris naturalis ad petendam quartam. Hujus SCriti Sabiniani *de uno ex tribus maribus adoptato* mentionem quoque facit Imperator §. 14. *Instit. de heredit. qua ab intestat. deser.* vid. Briffon. in *Lexic. Jurid. verbo* Quarta & l. 10. §. 2. C. de *Adopt.* De altera Quarta agitur in l. 10. tit. 34. C. *quando & quibus quarta deb. ex bon. Decur.* Theodosius Imp. ex defuncti Decurionis nullos liberos relinquentis hereditate Quartam partem curiæ adsignavit. l. 1. C. d. t. postea inter filios & filias differentiam introduxit l. 2. d. t. Justinianus contra omnem differentiam ratione sexus sustulit, dum in fine l. 2. ita scribit: *In hoc Theodosiana legi apertissime volumus esse derogatum, & generaliter definimus ex omni causa neque masculos liberos, neque filias copulatas matrimonio Curialis minus quarta parentis substantiæ habere: vel non extantibus filiis vel filiabus, sed aliis heredibus ipsam Curiam secundum anteriores leges Quartæ Curialis morientis habere solatium.*

## CAPUT QUINTUM

## De Quarta legitima.

Quarta legitima olim erat quarta pars portionis ab intestato debita §. 3. *Instit. de inoff. testam.*

55. *Stam. l. 8. §. 6. ff. eod. l. 31. C. eod.* Hinc in *Novell. 18. c. 1. in fin.* antiqua Quarta vocatur. Quarta enim debita portionis sufficit ad excludendam querelam l. 8. §. 8
56. *ff. eod.* Postea autem Justinianus cavet, ut si quatuor sint filii vel pauciores ex substantia defuncti, triens: si plures sint, semis debeatur eis quoquo relicti titulo ex æquo scilicet inter eos dividendus, *Auth.*
57. *Novissima lege C. de inoff. test. Nov. 18. c. 1.* Hinc non amplius Quarta, sed plerumque legitima portio vocatur, quæ definitur, quod sit certa & congrua portio ejus, quod quis, jure legitimæ successionis ab intestato habiturus esset legibus definita. *Cass. Manz. in tract. de legitima. Quest. 1. & d. Authent. C. de inoff.*
58. *test.* Legitima hæc debetur I. Liberis tam masculis,
59. quàm fœminis, quia sublata est differentia inter masculos & fœminas l. 4. *C. de liber. praterit.* II. Non tantum suis sed etiam emancipatis *arg. Nov. 118. c. 1. in fin.*
60. *Brunnem. ad Auth.* Non licet *C. de liberis prateritis.* III. Adoptatis & adrogatis *arg. l. 22. ff. de Adopt. IV. Legitimatis Berlich. Conclus. 11. n. 5. V. Naturalibus & spuris, sed solummodo in bonis matris l. 5. in fin.*
61. *C. ad Scutum Orphyt.* Mater enim semper certa est l. 5. *ff. de in Jus vocando.* Quod VI. extenditur ad avum & aviam maternos, qui si utiliter testari velint, liberos non tantum naturales sed etiam spurios & vulgò quæritos instituere, aut nominatim cum
62. causa legibus cognita exheredare tenentur. *Manz. in tract. de Legit. quest. 2. n. 13. VII. Neponibus & proneponibus ex filio vel filia genitis l. 8. §. 8. in fin.*
63. *ff. de inoff. Test. VIII. Parentibus, nempe patri & matri*

tri, utpote quos eorum liberi, si nullos liberos habent  
 ant præterire; aut excludere non possunt *Nov. 115.*  
*c. 4. in pr. IX.* Interdum fratribus & Sororibus, si 64  
 scilicet ipsis turpes personæ prælatæ sunt §. 1. *Inst.*  
*de Inoff. test. & l. 21. C. eod.* Quod tamen de Ger- 65  
 manis & consanguineis, non vero de uterinis intel- 66  
 ligendum est *l. 27. C. eod. X.* Conjugibus quoq; legitima  
 competit, quæ Jure Saxonico vocatur Quarta conjugū.  
 Quia autem hæc quarta marito tantū superstitibus li- 67  
 beris defuncto, nullis liberis autem relictis, triens uxori  
 debetur *Carpz. Jurispr. For. P. 3. C. 20. D. 16.* Aliis in lo-  
 cis verò semissis assignatur, *Mev. ad Jus Lubec. P. 2.*  
*Tit. 1. Art. 8. n. 42,* ideo illam portionem potius le-  
 galem vel Statutariam dici debere cum *Berlich. Concl.*  
*12. n. 59.* statuimus. Nam non jure antiquo, sed lege 68  
 novissima in *Auth. Præterea. C. Unde Vir & uxor.* vel ex  
 statutis & consuetudinibus debetur, *Manz. dict. tractat.*  
*Conf. etiam Dn. Stryk. de Success. ab intest. Dissert.*  
*4. c. 1. n. 21. §. 27. & seqq. XI.* Patronis quoque 69  
 ex bonis libertorum legitima debetur, *juxta l. 19.*  
*ff. de bon. libert. l. 41. ff. eod. l. 21. §. 2. ff. de Jure Pa-*  
*tronat.* Cum enim liberti centenariis majores (plus 70  
 quam 100. aureos in bonis habentes sine liberis de-  
 cesserint, & in testamento patronos patronasve præ-  
 terierint vel exheredaverint, tunc ex Constitutione  
 Imperatoris per bonorum possessionem contra tabu-  
 las non dimidiam, ut antea, sed tertiam bonorum  
 partem consequerentur, & quod deérat, eis ex Con-  
 stitutione Imperatoria, si quando, minus tertia parte

bonorum suorum libertus vel liberta eis reliquerit, replebatur ita, ut sine onere, nec legata vel fideicommissa præstarentur, sed ad coheredes eorum hoc onus redundaret *l. 3. §. 11. C. de bon. liberi. & Jure Patron.*

### CAPUT SEXTUM

#### De Quarta duplicata.

71. **P**erplexam, intricatissimam & valde vexatam unanimum nostratum Jctorum consensu de duabus deducendis Quartis materiam esse, scribit *Ferdin. Christoph. Harpprecht. de Successionibus tractat. 2. c. 1. §. 1.* & plures Dd, consentientes allegat, nempe *Fachinæum Controvers. Jur. l. 5. c. 2. Job. Harpprecht in addit. ad Jul. Clar. §. Testamentum Q. 63. n. 3. Dav. Mevium Part. 7. Decis 19. n. 1. Hotoman. Quæst. illust. 43. pag. 420. Habn. ad Wesenbec. tit. ad SCtum Trebell. n. 6.*
72. Nemo autem putare debet, nos hoc loco talem intelligere quartam duplicatam, quarum utraque Trebellianica est, si nempe cui portio hereditatis legata sit, rogatusque fuerit, hanc partem restituere: dubio procul haud fiet restitutio ex SCto, ideoque nec quarta retinetur. *l. 22. §. fin. ff. ad SCtum Trebell.* unde colligunt Dd. fidei committarium, si jussus fuerit, hereditatem tertio restituere, quartam Trebellianicam retinere non posse, quia scilicet fiduciarius quartam Trebellianicam detraxit. Nec de Quarta, ex Trebellianica & Falcidica mixta loquimur, si scilicet quis 400. relinquat, & 300. Titio leget, heredis vero fidei committat, ut 100. restituat Cajo. Ex 300. ergo legati deducit Falcidiam, nempe 75. & ex 100. per fidei com.

commissum relictis Trebellianicā, nempe *15. per l. 2.*  
*ff. ad leg. Falcid.* quo pacto heres integrum hereditatis  
 quadrantem, nempe 100. obtinebit. Verum hoc loco 76  
 de tali Quarta duplicata, quæ ex Quarta legitima & ex  
 Quarta Trebellianica componitur, agimus. Accu- 77  
 rate autem loquendo, quarta legitima, si fuerit triens,  
 tunc Trebellianica portio erit sextans hereditatis, si  
 autem legitima sit, semis portio Trebellianica erit tan-  
 tum sesquiunica. Triens autem & Semis legitimi, quia 78  
 in locum antiquæ quartæ successerunt, non immerito  
 quartæ appellantur. Eodem Jure etiam portionem 79  
 Trebellianicam, utpote quæ reipsa quadrans super-  
 stitis hereditatis est, nempe bessis vel semissis,  
 quartam appellamus. Communiter autem duplica- 80  
 tam hanc Quartam solummodo locum habere, si fili-  
 us sub conditione, aut in diem fideicommissograva-  
 tus sit restituere, quo casu ipsum unam tantum quar-  
 tam detrahere, statuit *Gail. 2. Obs 121. n. 2.* alique plu-  
 rimi auctores. Et hinc juxta *Harpprechtium allegato* 81  
*tract. 2. cap. 1. n. 10.* ita definiendum erit hoc Jus; quod  
 sit facultas & potestas competens liberis & parenti-  
 bus, heredibus relictis, sed universali fideicommissio,  
 sub conditione, vel in diem, gravatis, ad hoc, ut ipsi  
 ex hereditate illa fideicommissaria, præter si am le-  
 gitimam, existente conditione, & die veniente etiam 82  
 Trebellianicā detrahere valeant. Jam laudati Dd. au-  
 tem præsupponunt Jure civili, talē duplicis detractionem  
 locum habere non posse, sed tantummodo a Jure  
 Canon, *per cap. Raynudi<sup>9</sup> & c. Raynald<sup>9</sup> X. de testamen-*

- 83 *si* introductam esse. Verum melior videtur sententia Bökelmanni, qui Jure Civili quoque filium fidei commissio aliquo, sive puro sive conditionali; aut in diem gravatum, præter legitimam, quartam Trebellianicam quoque vel Falcidicam detrahere posse statuit, quia legitima est instar æris alieni, quo deducto demum legata ac fidei commissio *juxta* §. ult. *Inst. de L.*
- 84 *Falc. & l. 6. in pr. C. eod.* relinqui possunt. Ante omnia autem legitima æquè ac ebos debet esse libera, nulloque onere gravata, & insuper si forè diminuta sit, ex reliquis bonis iterum supplenda, *per Nov. 39.*
- 85 *c. 1.* Ut taceamus nunc filium, cui detractio quartæ Falcidiæ denegatur, longè deterioris conditionis esse,
- 86 quam quemlibet extraneum. Universaliter ergo ubiq; receptam esse hanc deductionem duplicatæ quartæ, non tantum patet ex laudatis Manzio, Harpprechto, aliisque pluribus, quorum multos adducit *Rutger. Ru-*
- 87 *land. Jctus in suo Responso 1612. signato,* ubi hæc exstant. *Da keine Noth vorhanden/ muß vor allen dingem gesehen werden/ ober aus des Vaters Gütern seine legitimam habe. Denn da er solche ex illis bonis nicht bettimmt/ kan er dieselbe wol abziehen/ quod ita Gailius l. 2. Obs. 121. n. 8. offert. Licet pater instituendo filium heredem possit eundem fidei commissio gravare pure, vel sub conditione, aut ad certum diem, ut bona paterna fidei commissario restituat: tamen in iis, que debentur filio ratione legitime & Trebellianice, nullo fideicommissio gravari poterit, in Auth. Novissima §. l. 32. C. de iussu. testam. & quia hic filius est gravatus*



tus sub conditione restituere, si sine liberis decesserit, magis et Trebellianicam detrahitur. Duas enim quartas potest detrahere, quod novissime sequentibus confirmat *Grevaus Concl. 121. n. 5.* Filios fideicommissi conditionali gravatos; duas quartas detrahere, conclusio est receptissima. Ultra *Da. Gail. n. 1.*, quem nominatim referendo secutus est *Alex. Raud. Pisan. decis. 22. n. 15. p. 1.* & cum aliis allegat Gailium insequendo *Herm. Vultej. Conf. 99. Marp. 29. num. 120. vol. 2. Joan. Petr. Surd. Blam. Decis. 151. n. 5. & decis. 316. n. 1.* pro communi recipit *Claud. Chiffet. tract. de legitima c. 13.* hanc conclusionem in Scholis & judiciis in utroque foro absque controversia receptam testat. *Peregrin. de Fideis. art. 3. n. 51.* & hodie ita observari post alios asserit *Camill. Barell. Controv. 51. n. 5.* & ad terminos judicavit *Senatus Paris. teste Ann. Roberrer. judicator. Senat. Paris. l. 4. c. 17. Fabius de Anno Conf. 25. n. 31. 32. 33.* ubi & Gailium inter alios refert, dicens ex aliis per totum mundum hanc sententiam servari & quidem sicut (*sic dicendum esset*) Evangelium & in Scholis & in judiciis ab omnibus approbari, ita ut pro hac sententia nulla sit dubitatio, idem explicite concessit *Stephan. Grat. Rot. Provinc. March. decis. 58. n. 12. & seqq.* & ita Rotam eandem judicasse cernere est apud eundem *decisione 112. ante n. 3. vers.* quibus stantibus fuit declaratum bene fuisse deductas per Judicem a quo duas quartas, legitimam scilicet & Trebellianicam,

cam, quia eramus in fideicommissio sub conditione facto auctoritates n. 6. jungit. Hanc item sententiam referendo Dominum Gail. & plures alios gravissimos auctores probavit, & generali consuetudine per totum mundum observari, etiam in terris Imperii, nec ab eo in Judicando, sive attendamus Jus Civ. sive Caon. esse recedendum, eandemque servari in Practica esse communem, & indubitatum saltem in via decisiva scripsit Marc. Anton. de Amat. decis. provinc. March. 18. post num. decimum quartum, 16, 17, 18, hancq; traditionem indifferenter per palatia praticari Anton. Quett. Conf. 58. sub. num. 1. testatum fecit, & in Scabinatu Wittenberg. pronunciatum asseveranter testatur collaudans 88 Petr. Heig. quest. 32. n. 15. p. 1. In nostra quoque facultate anno 1690. filio cuidam fideicommissio gravato duplicem detrahere quartam potuisse, pronunciamus.

### TANTUM.


A meridie hora secunda in Auditorio juridico de Consiliis, Responsis, Decisionibus, Relationibus, &c. Jctorum colloquium instituetur & Auctores nonnulli praecipue antiqui, cum Manuscripto quodam producentur.

ULB Halle  
003 742 709

3



TA → OL <sup>f</sup>  
nur 1+21 Stück rechnung pff





DISPUTATIO JURIDICA,  
*Quam*  
In Alma CHRISTIAN-ALBERTINA,  
*Juxta ordinem*  
In Principali FRIDERICIANA  
*Constitutione praescriptum,*  
DE

1785  
1703,5

# QUARTIS

*In Jure nostro occurrentibus,*  
Et in Specie  
DE

## QUARTA DU- PLICATA,

*Sub PRÆSIDIO*  
SAMUELIS REYHERI, JC.

Cod. & Mathemat. Prof. Publ.  
*defendet*

PETRUS MUMMENS,

Eidorostad. Juris Stud.

*Die April. c1s Ecc III.*  
in Auditorio Majori.

---

KILIE,  
Typis Bartholdi Reutheri, Academ. Typogr.

